

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Maria g cum fonte primo

Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit? Quid castius ea que corpus sine corporis contagione generauit?

Et ut de ceteris eius uirtutibus taceam, uirgo erat non solum corpore sed eciam mente;

corde humilis, uerbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuiciarum sed in prece pauperum spem reponens, intenta operi, uerecunda sermone; arbitrum mentis non hominem sed Deum querere, nullum ledere, omnibus bene uelle, maioribus assurgere, equalibus non inuidere, iactanciam fugere, rationem sequi, uirtutem amare. →

Quando ista fastidiuit humilem? ←  
Quando risit debilem? Quando uitauit inopem?

Nichil in oculis toruum, nichil in uerbis procax, nichil in actu inuerecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non uox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.

Talem hanc ewangelista monstrauit, talem angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit. Quid enim in singulis morer

que digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur?

Ambrosius de uirginitate libro II.

Quid nobilius dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit, quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generauit?

Nam de ceteris eius uirtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret adfectum:

corde humilis, uerbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, intenta operi, uerecunda sermoni, arbitrum mentis solita non hominem, sed deum quaerere: nulli laedere os, bene uelle omnibus, adsurgere maioribus natu, aequalibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare uirtutem. Quando ista uel uultu laesit parentes, quando dissensit a propinquis?

Quando fastidiuit humilem, quando risit debilem? quando uitauit inopem eos solos solita coetus uirorum inuisere, quos misericordia non erubesceret neque praeteriret uerecundia?

Nihil toruum in oculis, nihil in uerbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non uox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.

Ambrosius Mediolanensis, *De uirginibus*, 2, 7 (F. Gori ed., pp.168, 170).

Talem hanc euangelista monstrauit, talem angelus repperit, talem spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei praedicauerint, quae digna fuit ex qua dei filius nasceretur?

Ambrosius Mediolanensis, *De uirginibus*, 2, 10 (F. Gori ed., pp.172, 174).